

2089

P O L E M I C I

2090

DL.

110 Codex chartaceus lat. hisp. Sec. XVI. f. rursus est Fascis *Opusculorum Theologici* potissimum *argumenti*, quae ordine per- censuebimus. I. *Cyclus aureus* alias *Speculum aureum*. De beneficia- tis per gratias exorbitantes in *Curia Romana* anno domini 1404. compilatus per quendam D. pra- gensem. Incipit: *Reuerendissimis in Christo patribus et dominis, sa- cro sanctae Romanae ac vniuersalis ecclesiae Cardinalibus &c.* P: *mi- nimus et utinam inter veros disci- pulos Iesu Christi plandum pro affectu et dolore &c.* Descrip- tum dicitur in ora inferiore fol. 1. Ex libro Carthusianorum Co- loniae signato N°. N. 87. sed mancum est, deficitque in L. I. c. 7. cum Libris III. constare de- beret. Integrum, teste *Herm. von der Hardt, Conc. Constant. T. I. P. 9.* in Praef. ubi simul totus illius Conspectus exhibetur, editum est *inuenta vix typogra- phia*, dein per *Wolf. Wissen- burgium Basil. 1555.* mox a *Gol- dasto* in T. II. *Monarch. S. R. Imp. fol. 1527.* et ab *Edw. Brownio* in *Append. Fascic. Rer. expet. et fugiend.* cooptatum. Omnes hi, alique magno con- sensu autorem statuunt *Paulum* quendam *Anglicum* Decret. Doc- torem, ut adeo necesse fit, aut titulum nostrum supra adductum falli, aut *Paulum* hunc cum aliis e *Wicleffi* palaestra *Pragam* tran- sivisse, id quod *Hagecius* in *Chron. de Jacobo* aliquo, *Conradoque* ad

an. 1404. commemorat. *fol. 20.* Adde *Codicem* seq.

II. *Dictata Dn. Melanchthonis in Epistolam Pauli Apostoli ad Rom.* Perpoliti et retractati extant hi Commentarii in *Opp. Philippi P. III. Witteb. 1601.* p. 883. f. *fol. 60.*

III. Sermo hispanicus de *Ascen- sione Domini* autore quodam *Li- centiato Maldonato*, qui illum anonymo cuidam Magnati (*muy alto y muy poderoso Señor*) in- scribit, vocatque *las primicias de mi trabajo. fol. 7.*

IV. *Pasquillus* natione *Roma- nus* amator ueritatis princeps *sa- tyricorum Caesarum* perpetuus *Rome* locum tenens, nec non *Gibel- line* factionis constantissimus *publi- cus* promotor ac *malorum Papa- rum uehementissimus insidiator S. D. illustri nobis dilecto Philippo Lantgrauio Hassia &c.* Est *Sa- tyra* proluxa subscripta *Rome VII. Decemb. 1543.* paene om- nia utriusque *Reip.* turbidis his- ce temporibus negotia tangens, praecipue res *Caesaris* cum *Pon- tifice*, *Gallo*, et *Statibus Im- perii*, *Concilium Tridentinum*, *Conuentum Smalcaldicum*, *Udal- ricum Würtembergensem &c.* Incipit: *Postquam Licaontem illum Lycoperanum, illum inquam, sca- lestissimum Germaniae Tyrannum expulisti, nihil de te aut foedere audiui &c. Lycaon Lycopera- nus (Λυκος Wolf, Pera Büttel) Henricus junior Dux Brunswicensis est, cujus fata apud Sleida- num, Hortlederum, Seckendor- fium habes, quemque Pasquil-*

K k k 2

lus

lus noster aterrimo sale perfri-  
cat. *fol.* 10.

V. *Sermo Nicolai Orem* (Ores-  
mii, Horen, ex Gymnafii Na-  
varrei Rectore Episcopi Lexo-  
vienfis ✠ 1382.) *Doctōris in*  
*Theologia contra Mendicationem.*  
Incipit: *Diues sepultus est in in-*  
*ferno. Luce decimo septimo. Du-*  
*bitatur circa hoc, utrum omnis di-*  
*ues in rebus temporalibus sepelie-*  
*tur in inferno. Videtur quod sic*  
&c. Finit: *Ad presens non scri-*  
*bo plura, ne prolixus videar. Has*  
*veritates aperuit mihi Deus con-*  
*tra fatuos mendicantes. Deo sit*  
*laus in quum Amen. Impetit ma-*  
*xime Beggardos et Beguinas, plu-*  
*rimumque sententiis biblicis et*  
*PP. utitur. Habetur Sermo hic*  
*ms. etiam Parisiis in Bibl. S.*  
*Victoris, constatque fol.* 16.

VI. *Epistola M. Petri Dor-*  
*dracensis ad ecclesiarum praelatos.*  
Ignotus hic autor malo Daemo-  
ni calamum commodat; ita enim  
orditur: *Princeps regionis geben-*  
*nalis Ecclesiarum praelatis et cle-*  
*ricis uniuersis. Salutem quam sibi.*  
*Superabundamus gaudio Charissimi*  
*in operibus uestris &c. Finit ve-*  
*ro: Datum in monte Aethne in*  
*die nubis et caliginis. Explicit*  
*epistola Sathane. Incipit rescrip-*  
*tio Pape. Magnus mundi monar-*  
*cha Christicolarum Calipha beelze-*  
*buc demoniorum principi, confu-*  
*sione sua sicut diploide indui &c.*  
Et hoc responsum tantum quan-  
tum, ut facile arbitrere, satiri-  
cum est in Clericos et Mona-  
chos, multumque congruit cum  
III. *Sathanae Epistolis*, quas Cod.

CCCCLIX. n. 21. *fol.* 373. in-  
dicavimus. *fol.* 7.

VII. *Traetatio Ferdinandi Ung.*  
et Boh. Regis cum Sacerdotibus  
et Magistris Univ. *Pragenae* cir-  
ca XII. Fidei Articulos contro-  
versos. Negotium inceptum *po-*  
*stridie Catharinae* 1549. Porrecti  
erant Regi praediſti Articuli.  
1<sup>mo</sup>. itaque hic habetur Respon-  
sum Regis: placere sibi eos,  
praeter Articulum *de Communione*  
*Parvulorum* maturius et latius  
expendendum, si eo sensu scripti  
sint, quo eos Rex intelligeret.  
Quo vero sensu Rex intelligat,  
hic fusius ex mente Catholicae  
Ecclesiae exponitur. Agunt au-  
tem de Trinitate, Fidei Sym-  
bolo, Sacramentis, speciatim Bap-  
tismo et Eucharistia, Missa, die-  
bus festis, Jeuniis, Supplicationi-  
bus, Invocatione SS. Suffra-  
giis pro Defunctis, Capite visi-  
bili Ecclesiae. 2<sup>do</sup>. Responsum  
Rectoris et Magg. Univerfit. quo  
sensu velint his articulis ipsi ad-  
quiescere. Nominatim petunt die-  
bus festis adjungi *Job. Hussi* et  
*Hieronymi* memoriam. 3<sup>io</sup>. Al-  
terum Regis responsum ad ipso-  
rum interpretationem cum moderata  
reprehensione. 4<sup>to</sup>. Promissio,  
se in potestate Regis futuros  
5<sup>to</sup>. Regis adprobatio. Meminit  
Boh. *Balbinus* in *Epit. Rev. Boh.*  
L. V. c. 12. ex *Actis ms. Carolinae Univ.*  
ad h. a. studii, quo *Ferdinandus*  
*Catholicos*, et sic dictos *Utraqui-*  
*stas* componere satagebat, favente  
ipso posteriorum Administratore  
*Job. Mystopolo*, sed parte

te *Lutherana* conatus evertente. *foll. 7.*

VIII. *Differtatio de Communionem sub utraque Specie* adscripta *Georgio Cassandro* hoc initio: *De administratione diuiniissimi sacramenti Eucharistiae dissidium hodie non leue in Ecclesia Christi conspicitur &c.* Multo amplior extat *Opp.* illius p. 1017. *Hic foll. 4.*

IX. *Anonymi* *Judicium Theologicum* breve de *Fascino* et *Praestigiis Daemonum.* *Foll. 2.*

X. *Caroli V.* *Imp.* *Responsum* ad *Articulos IV. Civitatum Argentinae, Constantiae, Memmingae et Lindaviae 1530.* oblatos. Jam indicatum alibi, hic *mancum foll. 12.*

XI. *Caroli V.* *Imp.* *Rescriptum* ad *Augustanos*, *Decretum* in *caussa Religionis* factum *admittere nolentes*, 12. *Nov. 1530.* *germanicum.* Latine extat in *Ge. Coelestini Hist. Comit. Aug. T. IV.* p. 99. *Adhaeret nobis Syllabus Civitatum*, quae *Decretum* istud *receperant*, quaeque *repu- diarant.* *Foll. 2.*

XII. *De Sacrificio Altaris nostri quod Missam vocamus informatio.* *Scriptum doctum et foli- dum*, quod *Parte priori* agit de *Sacrificio* in genere, perque *oblationes* in *Lege Naturae*, et *Lege Moysis* ad *Novae Legis* descendit *Sacrificium*, *cujus Ritus* et *Ceremonias* in *posteriori Parte* exponit. *Hac in parte*, ubi *Autor* de *Commemoratione Vivorum* in *Canone Missae* agit, haec *legas: In Veteribus Libris Mis-*

*sarum et Colonien. et Ratisponen. apud S. Emeranum et Ecclesiae nostrae Cicensis omittuntur Verba illa: pro quibus tibi offerimus.* *Ex his Opusculum* erudito et in *Religionis negotio* perquam *moderato Julio Pflugio Numburgi*, cui *Cizia* unita fuit, *Episcopo* tribuo, quem et in *Ephemerid. dictis Unschuld. Nachrichten* ad an. 1707. p. 421. *de Sacrificio et Ritibus Missae* scripsisse *invenio.* *Obiit 1564. foll. 26.* sed *fine mancum.*

XIII. *Judicium fratris Petri de Palude ordinis fratrum Praedicatorum Magistri in Theologia contra Magistrum Johannem de Poliano Doctorem in Theologia super Articulos qui sequuntur.* *Sequuntur vero XIII. Articuli Johanni imputati*, circa *Jurisdictionem ecclesiasticam*, qui, uti sonant, *Sacerdotibus parochianis* contra *Papam*, *Episcopos* et *Regulares*, *judicio Petri*, *nimum favebant*; *singulis itaque refutationem* subjicit. *Sed succedit Responsio Magistri Joannis de Poly ad praedicta*, quae *objecta diluit* et *multa sibi a Fratribus adiecta* esse *conqueritur.* *Manca vero est haec Responsio nonnisi ad Art. XI. pertingens.* *Agitur autem plenius de hac Controversia in Codice CCCXXXIX. cujus Contenta vide apud Quetifum in Scriptt. Ord. Praed. T. II. p. 820. qui T. I. p. 603. de Petro de Palude ✠ 1342. pertractat. Joannis de Poliano mentio est apud Caes. Egass. Bulaeum Hist. Universit. Paris. T. IV. p.*

2095

C O D I C E S

2096

968. De Mendicantibus sentiebat, ut *Guilelmus de S. Amore*, hinc reprehensus a *Jobanne XXII.* ad quem delatus erat, docuisse: Pastores habere potestatem immediate a Deo, et Constitutionem *Benedicti XI. Inter cunctos* &c. de Privilegiis Mendicantium non esse Juris interpretationem aut declarationem, sed subversionem. Plura vide, si lubet, apud doctis. *Launoium* ad Can. *Omnis utriusque Sexus* &c. *Opp.* T. I. c. 5. p. 270. *Foll.* 33.

## DLI.

<sup>471</sup> Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 159. 4. diversa Opuscula diversis manibus exarata complectitur hoc ordine: I. *Aureum speculum de titulis beneficiorum ecclesiasticorum.* Ita praevie et in calce. In Editione vero *Eduardi Brown Append. ad Fascic. Rer. Expetend. et Fugiend. Lond. 1690. p. 63. f. Aureum Speculum Papae, ejus Curiae, Praelatorum et aliorum Spiritualium.* Dialogo inter *Petrum* et *Paulum* conscriptum Opusculum *Traetatibus III.* in *Capita* tributis constans ita incipit: *Reuerendissimis in christo patribus et dominis dominis Sacrosanctae Romanae ac vniuersalis ecclesiae Cardinalibus — P. minimus et utinam inter veros discipulos Ihesu christi planctum pro affectu et dolorem. Heu corde anxius qua voce intonare ipse debeam quis scribendi stilus quisve modus eloquencie expli-*

*care sufficiat, in cor hominis non ascendit tantam pestem &c.* Jam ex his adparet *Brownii* Exemplum nostro collatum variare, quod liquidius fit per decursum. Ita mox ille *Papa* pro *Ipsa* (scil. Curia) *intus murmurant* pro *de hoc murmurant* legit. *Traet. I.* c. 2. Archiepiscopus, quem ille divinare nequit, *Bituricensis* est. *Traet. II.* c. 1. pro *etsi iniustas*, ubi aqua ei haesit, reponere *Summas.* Scriptum cetera solidum et acre in Abusus ecclesiasticos sic terminatur: *Audax manus ad calamum supra vires scribentis* (Brown scribens) *arripuit negocium. Anno currente natiuitatis eiusdem domini Millesimo CCCC<sup>o</sup> 4<sup>o</sup>. Et eodem Domino tunc dirigente sic compleuit* (Br. compleverit) *consulens toto desiderio obviandum malis vniuersis pro ecclesie concilio generali &c.* Ubi pro redundare videtur. Vides Nostrum in eorum numero, qui Conuentum generalem Ecclesiae exoptabant, tandem *Constantiam* anno 1414. indictum. An sub littera P. lateat *Petrus de Alliaco*, an *Job. Gerson*, an reuera *Paulus* quidam Anglicus, adfirmare non audeo. Confer *Cod. praeced.*

II. *fol. 49. Traetatus*, ut in praefixo *Codici Elencho* notatur, *contra Communionem Calicis.* Constat VIII. *Capitibus* et incipit: *Spiritus manifeste dicit quoniam in nouissimis temporibus discedent quidam a fide &c.* Finit vero: *me conferuare dignetur in ipsa fide catholica per quam possim cum omnibus*